

Erzbischof zu Salzburg, Legat des heil. Apost. Stuhls zu Rom u. u., mein gnädigster Herr und Landesfürst u. u. mich in den Ritterorden St. Ruperti gnädigst an; und aufgenommen, ich Ihren hochfürstl. Gnaden und dessen Successoribus gehorsam und gewärtig seyn, derselben und dieses hochlöbl. Erzstifts frommen, Ehr und Nutzen fördern, Schaden wenden, oder dafern mir solches nicht möglich wäre, wenigstens zeitlich warnen, absonderlich aber bey Verlierung des löbl. Ordens und andern schweren Strafen keinen Potentaten, oder Fürsten wider vorbemeltes Erzstift oder einen Herren Erzbischofen dienen, noch mit Rath und That an Hand gehen wolle. Also helfe mir Gott und alle seine Heilige.

C.

Miscellen.

Gutachten eines Rechtsgelehrten: Ob der Orden unter die geistlichen Stiftungen zu zählen sey?

Nonnulla motiva, ex quibus verosimiles conjecturae deduci possunt, quod fundatio, seu Donatio bonorum, et Redituum pro Ordine Militari S. Ruperti inter causas pias recenseretur debeat.

I. Ordo hic Militaris à Celsissimo Fundatore institutus est ad honorem S. Ruperti primi Salisburgensis Episcopi: cujusmodi Institutio ad honorem,

norem, et cultum Sanctorum ordinata apud romano-Catholicos omnino pia videtur. Gletle p. 5. quæst. 8. n. 19. Et licet idem Celsissimus Fundator inter causas instituti ordinis allegaverit bonum Reipublicæ, per nobiles Equites conservandum, qualis causa inter profanas numeranda apparet, hanc tamen causam non fuisse ultimam, sed intermediam, atque ad finem altiorem, et pium ordinatam, ex eo relucet.

II. Quia, ut per Equites nobiles, pro salute Reipublicæ in Studiis, et aliis Exercitiis educandos, magis promoveatur cultus et honor D. Ruperti, obligantur illi vi Foundationis singulis diebus certas preces recitare, et quidem vesperi quinque Pater, et ave Maria ad honorem præfati S. Ruperti, et SS. quinque Vulnerum Christi; uti et de mane in Venerationem SS. Trinitatis, nec non Virginis Deiparæ tria Pater, et Ave cum Symbolo Apostolico dicere tenentur. Hic finis autem certe pius, et quod intuitu ejus relictum, aut dispositum est, ad causam piam destinatum esse censetur arg. cap. 15. de Testam. et eorum, quæ tradit Franciscus Mostazzo de causis piis libr. 1. cap. 1. n. 12. 16. et 17.

III. Ulterius hic finis ultimatus, et summe pius dignoscitur ex alia obligatione, vi cujus singulis annis in die octava Translationis S. Ruperti ad ipsius gloriam Missa solennis in Ecclesia SS. Trinitatis decantanda est: quid autem magis pium est,

est, ac, quod relinquitur ad legendas Missas, et peragenda Sacrificia incruenta, veluti fontes omnis pietatis? Vid. cit. Author. d. lib. 1. c. 11. et lib. 2. per tot. Card. de Luca de Testam. disc. 17. n. 3. et disc. 28. n. 8.

IV. Celsissimus Fundator in sua pia dispositione non immemor fuit salutis, et animae propriae, praecipiens, ut, quando ex hac vita decesserit, in vicem gratitudinis pro se, tanquam fundatore in memorata SS. Trinitatis Ecclesia quotannis celebretur Anniversarius, sub quo praesentes Equites Ordinis quinque Pater, et Ave pro eodem fundatore orare obstringuntur. Jam vero apud omnes in confesso est, fundationem piam censi, per quam ejusmodi anniversaria eriguntur. Mostazzo lib. 2. cap. 7. à n. 6.

V. Ipsum Institutum hujus Ordinis undequaque pium cernitur, ex quo illius Equites sunt obligati ad militandum pro honore SS. Trinitatis, B. V. Mariae et S. Ruperti, et quidem ante omnia, et principaliter contra juratos Christiani nominis hostes, aliosve infideles; cujus Instituti ratione plurimi Equites aliorum ordinum aut veri Religiosi esse, aut saltem de Religiosorum favoribus et privilegiis participare reputantur, ipsorumque Commendae inter beneficia Ecclesiastica numerantur. Conf. Mostazzo lib. 8. cap. 2. à n. 30.

Equi-

Equidem in contrarium stare videtur, quod Ordo S. Ruperti non Ecclesiastica, sed politica Autoritate erectus, atque adeo Consistorio, ac Jurisdictioni ecclesiasticae subtractus fuerit. Verum exinde solummodo convincitur, quod idem ordo, ac bona illius non sit locus, domus, aut res religiosa, seu ecclesiastica, ad cujus Institutionem requiritur Autoritas, et Jurisdictio ecclesiastica juxta cap. Ad haec 4. de Religios. domib.; quo non obstante locus, et causa pia dici potest; et debet, utpote ex motivo pio, et supernaturali instituta, gaudens omnibus favoribus, et praerogativis, quae causis piis sunt indultae; sicuti accidit in hospitali pro pauperibus absque Autoritate Episcopi erecto, veluti docent Gonzalez ad cit. cap. n. 5. Barbosa J. E. U. lib. 2. cap. 11. n. 2. Mostazzo lib. 1. cap. 1. n. 33. Card. de Luca de Testam. disc. 17. n. 7. et disc. 18. n. 7.